

Johann Affelmann Balthasar Vietor

Disputationum Theologicarum I. De Scriptura Sacra

Rostochii: Reusnerus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737590262>

Druck Freier  Zugang



J. Affelmann.
R. N. theol. 1610.

4.
DISPUTATIONVM THEO-
LOGICARVM

I.

DESCRI-
PTURAS A-
CRA,

In Qua

DIVINA IUVANTE GRATIA

Praside

Johanne Affelmanno

S. S. Theologiae Doctore & Professore in Aca-
demia Rostochiensis publico

Respondebit

BALTHASAR VIETOR Brakelensis Westphalus.
ad 7. Novembris horis a septimâ matutinis.



ROSTOCHII,

Ex Typographia Christophori Reusneri.

ANNO c^h l^o CX.



1610



Reverendo, Clarissimo & Excellen:issimo Viro,

**DN. ENGELBERTO
VVIPPERMANNO V. I. L.**

Reverendi Capituli Bremensis Canonico, Illustrissimorumq; Principum ac Dn. Dn. JOHANNIS ADOLPHI, Hæred. Norveg. Principis Holsat. Schleswic. &c. & Dn. IOHANNIS FRIDERICI, Dioceseos Bremens. Episcopi Bremens. Hæred. Norveg. Princip. Holsatizæ &c. Consiliario intimo &c. Mœcenati suo plurimùm colendo.

NEC NON

Amplissimis Prudentissimisq; Viris

DN. BALTHASARI à Beckheim, Consuli Reipub Brakelenfis fidelissimo, Compatri suo peramando.
DN. GEORGIO ab Hutisern patriæ Scholæ inspectori vigilantissimo.
DN. GEORGIO Bograssen / Consulis à Beckheim genero, & ejusdem civitatis civi primario.

Dominis fautoribus, patronis ac amicis meis æternùm venerandis

Hoc exercitium Theologicum in debita amicitia & observantia superiorum offert, dicat, consecrat

BALTHASAR VIETOR
Respondens.

I.
DE SCRIPTURA
S A C R A.



Uæ est doctrina Deut. 4. v. 36. à DEO 2. Tim. 3. v. 16. de DEO Joh. 5. v. 39. ad DEUM cap. 20. v. ult. Prophetarum & Apostolorum libris comprehensa Rom. I. v. I. 2.

Quæritur.
I.

Quinam libri eò nomine veniant? Quinam Canonici, hoc est, fidei morumq. norma Gal. 6. § 16. Philip. 3 § 16. secundum quam Deus in nobilissimo die judicaturus, Dan. 7 § 16. Joh. 12 §. 48. quinam, Epiphaniï stylo, Testamentarii, & Augustini verbo, *Seluti utriusq. Testamenti ubera, è quibus germani Ecclesie liberi τὸ λογικὴν ἀδολογία* sugunt ut in Christo adolescant, dici mereantur? Veteris Testamenti ab Orthodoxis numerantur 24. ad numerum Seniorum in Apoc. cap. 4. & 5. juxta D. Lutherum, & nonnullos alios Thalmudicos: à quib. non dissentiunt qui 22. tot scilicet, quot Hebræis *γράμματα*, Josephum contra Appionem (Non Esdræ), sequuti recessent, quando librum Ruth ad librum Judicum, Estheræ ad scriptorem ejus Esdræ referunt. Sunt autem: Mosis libri quing., liber Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Esther, Hiob, Psalmi, Salomonis pro-
verbia, Ecclesiastes, Cantic. canticorum, Prophetæ 4. majores, & minores 12. & sic numerant Concilia, Patres; quidam etiam inter Pontificios doctissimi, qui Concilio Tridentino interfuere. Libri reliqui veru jugulante, ut Hieronymus loquitur, hinc expunguntur, id quod de nonnullis fatentur nunc ipsimet Pontificii: de Libro autem Tobie, Judith, Sapientia, Syracidis, Maccabeorum duobus, Baruch, Estheræ septem capitibus posterioribus, & Danielis supplemento principalis remanet controversia, quos Pontificii editto Tridentini Conciliabuli vocant Propheticos, Canonicos, nos Apocryphos, his rationibus, I. Quia libri isti post Malachiam & Artaxerxis tempora, post que Prophetæ ad Joannem usq. monstrari nequit, vel Josepho dicente, scripti sunt: cujus rationis robur, non dubito, quin ipse Bellarminus senserit, quando librum Esdræ non fore ait in Canone, si post Longimani tempora scriptus adseratur. II. Quia linguâ destituuntur Prophetica, quicquid quis ex Hieronymo objicere possit unde idem Bellarminus tertium & quartum Esdræ, & quartum Maccabeorum non vult Propheticos, quia Hebraice scripti non extant. III. Ecclesie Judaicæ, cui τὰ λόγια τὰ Ἰεὺ commissæ leguntur, Rom. 3. §. 1. testimonio

non cau-

non gaudent, adeoq; nec Levitis commendati, ut in arca latere ponerentur. Quid est gens Judaea nisi inter quadam scriniaria Christianorum bajulans legem & Prophetas ad testimonium adsertionis Ecclesie ait D. Augustinus lib. 13. cont. Faust. cap. 23? I V. Quia Prophetis de Christo vaticiniis vacui sunt, quum tamen OMNES Propheta testimonium perhibeant de Christo. Act. 10. v. 43. Job. 5. v. 39. V. Judat videre specialia, nam. Et utile & jucundum est. Libri qui a veritate Prophetica, Historica & Chronologica discedunt, Sacri, Prophetici & Canonici non sunt. Est enim spiritus sanctus spiritus certitudinis, Psal. 51. § 12. & veritatis, Ioh. 13. v. 26. c. 16. v. 13. At libri jam recitati plarig. a veritate ista discedunt. Videamus Librum Tobie. Tribuitur ibi Angelo mendacium cap. 5. v. 15. sibi ipsi contradicenti cap. 12. v. 15. Et iterum mendacium. Nam Dan. 7. v. 10. milies mille Angeli ministrare adfirmantur Deo, & decies milies centena millia coram ipso stare. Hic autem Pseudo-Raphaël septem ait tantum esse qui adstant Domino, & se unum ex illis cap. 12. v. 15. Eidem Angelo officium, quod tamen solus Christi est, arrogatur cap. 12. v. 12. Cujus autem abs consilium cap. 6. v. 9. cap. 8. v. 3? Dic anone Magicum? sicuti editiones, Latinam vulgatam (quam D. Lutherus gravi consilio in Germanica sequitur) cum Complutensi Græcâ (quam F. Junius in Latina cum aliis nonnullis) contuleris, videbis diffensiones gravissimas. Quere enim: Tobias senior cum visus privaretur, quot fuit annorum? Respondet Latina 56. Græca 58. cap. 14. v. 2. Quot annis eo privatus mansit? Respondet Latina quatuor, Græca addit totidem c. 14. v. 3. Quo etatis anno mortuus? Latina anno 102. cap. 14. v. 2. Græca 158. cap. 14. v. 13. Quere de juniore, quot liberorū pater fuerit? 7. ait Latina, Græca 6. c. 14. v. 6. Idē quam diu inter mortales? Latina ann. 99. cap. 14. § 16. Græca 127. ibid. Tum se quis Argus est, monstrat que Græca habet c. 1. v. 1. 7. 24. & 25. ubi legantur in Latina? que Latina cap. 1. v. 4. 7. 10. 16. & 23. ubi in Græca? Sed dicit vel Bellarminus vel alius ejus manipuli, Latinam editionem esse sectandam, Græcâ reliquâ. Eugel dicitur in Latina cap. 1. v. 11. Tobiam juniorem cum patre à Salamanassare captivum abductum esse: eundem superstitem fuisse, quando templum Domini exureretur, hoc est, ab initio exsilij Israëlitiçi Anno 133. Dicitur autem nihilominus, Tobiam juniorem non nisi ann. 99. vixisse cap. 14. v. 16. Dic tu nunc, qui hæc conveniant? Librone Judith vide. Hic narratio que extat c. 9. v. 34. quâ multis laudibus extollitur facinus à Simeone & Levi patratum, Mosi repugnat, Gen. 49. v. 5. 6. ubi à spiritu S. hoc damnatur, ut de oratione ad Holofernem mendaci & simulata taceam. Exponatur tantum, quo tempore gesta que hoc libro exponuntur? Vide, vide ut se Bellarminus torqueat. Tandem ad Manassæ tempora confugit. Quasi verò templum sub Manasse eversum, quod factum ait contextus Græcus? Quasi Chaldei populum hunc, cujus Regem paulo ante captivum adduxerant, sic ignorare potuissent, ut Holofernes Achiorum de eo interrogare necesse haberet? Quasi post Manassæ regnum tam firma Judæis pax obtigerit, ut author hic ex Judithæ etate pronunciat. Quæ ipse rationes faciunt, ut nec ad Sedechie regnum referri queant. Editiones hujus libri qui discrepent de eo vide quiritantem Hieronymum in Prologo. Siracides honorem istum Propheticum ultro repudiat in libri prologo. Errat itidem errores ma-

gnos da

gnos de Samuele post mortem prophetante cap. 46. v. 23. Et Elia corpore suo adhuc
 reserjuro cap. 48. v. 30. quorum ille textui Prophetico 1. Sam. 28. v. 3. 6. repugnat, po-
 sterior est loco Malachie c. 4. v. 23. 24. male intellecto natus est. Etiam hic editio
 Græca habet cap. 1. v. 27. cap. 3. v. 28. que nescit Latina, Latina cap. 1. v. 14. c. 2. v. 16.
 Et 21. c. 3. v. 20. 28. que nescit Græca. Maccabæor. libri 2. absurditate vincunt reli-
 quos. Nō annoto discrepantias inibi multas, magnas. Absōnūne est quod Razias dicitur
 2. 19. Commendatur 2. Macc. 14. v. 42. Absōnūne quod Alexander dicitur voca-
 tis ad se illustribus, qui secum in iuventute educati viris adhuc distribuisse regnum
 1. Macc. 1. v. 7. Non adducam in hanc aream plures: Possē autem Curtium, Flu-
 tarchum, Diodorum Siculum, Daniel solus contra loquatur cap. 11. v. 4. An non
 (dic Polyhistor) que de Magistratus Romani ratione narrantur, inepta, jejuna,
 distorta? 1. Macc. 8. v. 16. Credo vel hinc Cyrenæus iste gentilis veniam petit errato-
 rum lib. 2. cap. 15. v. 39. Pro libro Baruch quod certent Pontificii, miramur, cum in
 cap. 6. simulacrorum cultores, Et cultus pontificii quasi ex professo accusentur. Sen-
 sit hoc Canus. Crassum est, quod cum Judæi in captivitate Babylonica fuerint an-
 nos 70. ut est 2. Par. 36. v. 21. Jerem. 25. v. 11. cap. 29. v. 10. hic tamen auctor cap. 6. v.
 2. annos ponat 700. Additiones Esther, Cleopatre Et Ptolomei atate demum
 scriptæ, cum Esther a Canonicis nunquam conciliari possunt. In Canonico est cap.
 3. Hamanum descendisse ex stirpe Agag (Regis Amalekitarum) in additamento di-
 citur animo simul Et GENTE fuisse Macedo. In Canonico est Mardochei somnium
 contigisse anno Assueri septimo, in additamento, anno secundo cap. 11. s. 2. Et aliās
 tota illa appendix quanta quanta est, nil ferē aliud quā odiosa repetitio priorum,
 que Spir. s. minimē uno Et eodem in libro imputanda. Additiones Et supplemen-
 ta Danielis cum ad nos non nisi ē nefarii Theodotionis versione devenerint, vel idcir-
 co suspecta sunt. Quis autem iste est Græcus Daniel? Quis iste Habacuc? Septuagin-
 ta, hæc non Danieli Prophete, qui de tribu Judæ, sed alteri, qui de tribu Levi, Ha-
 bde sacerdotis filio attribuunt. Tu Roberte explica nobis, anne Daniel eo tempo-
 re (Cyri) quo Susanne historia gesta memoratur, puer fuerit? O puerum 80. annorum!
 Ezechiel certe, qui prophetavit anno 5. post transmigrationem cap. 14. Danielem
 viris annuerat gravissimis. Sed quod si quis iudicium à Daniele latum vocat et
 PUERILE, quid inde? Cordati iudicent. Habacuc Propheta non Cyri tempore,
 sed ante Nebucadnezaris in Judæam expeditionem prophetavit. Quis ergo iste Ha-
 bacuc Danielis? De Novi Testamenti libris, Epist ad Heb. posteriore Petri, 2da Et ter-
 tia Joh. Epist Iacob. Iud. Et Apocal. non una omnium Orthodoxorum sententia est,
 que tamen diversitas fidei unitatem non tollit. Sic sentimus: Canonicum aut est Et
 dicitur, de cuius Apostolico scriptore non dubitatum, aut id, quod ad morum Et fi-
 dei dijudicationem ceu Apostolicum ritē adhibetur. Si posteriori sensu accipias,
 eos dictos libros pronunciamus Canonicos, si priori, non item.

II.

Unde Prophetica & Apostolica huius Scripturæ auctoritas Canonica
 A 2
 depen-

dependet? Egregios hic se præstant Pontificii vertumnos. Ne enim nostra sententia pie, quæ est, Scripturæ auctoritatem dependere à Solo Deo, omnino contradicere videantur, distinctionem fabricant: dicentes, Scripturæ auctoritatem PER SE quidem pendere à Deo, sed quoad nos ab Ecclesiâ, seu ut interpretantur plerique, à Romano Pontifice, qui in conclusionibus infallibilem, in mediis discursuum, in conclusionibus Propheticum habeat spiritum. Sic Andræus lib. 3. pro Concil. Trid. Scapleton. contra Vitack. Bellarm. passim verborum fumi sunt. Nam ubi res redit in circulum, Causam auctoritatis istius efficiendam rursus negant esse Deum, qui etsi priscis hac in re hereticis cautius loquantur, vix tamen commodius sentiunt. Et reducunt heresin, quam olim etiam Hermannus Risövidich anno 1500. publicitus proposuit, Scilicet sic sacra Scriptura nitetur iudicio humano, neq. erit λόγος Θεοῦ. Quamò rectius in mediis Papatus tenebris ex 2. Pet. 1. v. 21. Biel lib. 3. sent. dist. 25. ad dub. 3? Adscribimus Syllogismos. I. Id quod errore vacat, auctoritatem veritatis non accipere potest ab eo, quod errori obnoxium est. Quis neget? At sacra Scriptura errore vacat, 2 Tim. 3. v. 16.: Ergo ab Ecclesiâ, quæ errori obnoxia (Luc 18. v. 8.) auctoritatem veritatis accipere non potest. II. Ecclesiæ testimonium causa est, propter quam Scripturæ credendum, & pro divinis ista habendâ, vel apud fideles, vel infideles. Non fideles, isti enim credunt propter Deum, non homines; nec infideles, isti enim suorum jactitant testimonia, quæ majori numero Christum professus opponi possunt. III. Si Scripturæ veteris instrumenti ab Ecclesiâ ejusdem, auctoritatem non accipiebat divinam, sed propter divina Testimonia, nec Novi Instr. Scripturæ auctoritas ab Ecclesiâ pendeat. At prius vide tantum Naëmani Cyri historiam 4. Reg. 5. v. 15. 11. & 12. Ergo. IV. Circulatoribus istis rectè opponitur cum aliorum Patrum, tum in primis Chrysostr. auctoritas, cujus verba clarissima videas homil. 4. in Matth. & cognosces inde Apostolos, licet errore cespitarint facti nunquam tamen fidei, velut alij, significatione strictiore, licet errato, nunquam tamen errore. Κατὰ τὴν αὐτῆς conglomerant hic Theologi, quæ evidentissimè arguunt Scripturam Propheticam & Apostolicam esse Θεοῦ λόγος, quæ nunc approbant Jesuitæ, nunc rejiciunt. Utriusq. exemplum ex Bellarmino est. Repetantur ea & libellis Theologorum. Inculcamus hoc loco argumentum argumentorum à testimonio interno Spiritus sancti in cordibus credentium, quod qui a Moguntini Jesuitæ in disp. contra Paræum rident, iis hæc argumenta tria opponere visum est. I. Si ex interno Spiritus sancti testimonio nobis constat de Christi gratia, amore Dei, & vite æternæ hereditate, & constat id certissimè, eodem testimonio de ipsius Scripturæ veritate & majestate constabit: Ratio consequentia est & Scripturæ definitione, quam tradidimus: Immo si de ipso Dei amore possumus certissimi esse isto suffragio, multò magis de doctrina ipsius, quæ amoris istius index. Atqui prius ex Rom. 8. v. 16. Ergo. II. Si Judæi interno suffragio poterant esse certi de Veteris Testamenti Scripturæ, Ergo & nos de nova, Ergo & de integra, cum non sit ratio dispar. At prius est ex Iob. 5. v. 39. Ergo III. Omnis effectus est causa sua index certus, Ἀνατίθηται. At salus in credendum est effectus Evangelii in libris Prophetis & Apostolicis expressi. Causa sua

*sua ergo Evangelii dico, in literis Prophetiis & Apostolicis expressi in eam certus.
Responde BECANE.*

III.

Cum ergo divina & canonica sacra Scriptura sit auctoritas: Anne in ea omnia, quae ad fidem & mores necessaria, si non expresse, analogice tamen, ut vocant, continentur? Sic statuimus contra Pontificios communiter, quorum sententiam nimis clarè propofuere Jesuita in nupero colloquio Ratisbonensi sess. quarta. Argumentum I. ab expresso Scripturae Epitheto Psal. 19. § 8. Lex Domini PERFECTA EST. In Hebraeo est Themimah à Tham quod perfectum denotat Gen. 6. II. Omne Testamentum rectè factum & comprobatum perfectam Testatoris completitur voluntatem, prater quod nil meretur fidem, quando ea testatoris fuit sapientia, ut omnia perfectè meditari, sac Testamento comprehendere poterit, sic ut nemini liceat *Domini Aegroti* Gal. 3. v. 15. At Scriptura sacra inscribitur TESTAMENTUM, testatoris scilicet omniscii. Ergo. III. Cui nihil addi vel detrabi debet, istud perfectam salutis comprehendit doctrinam. Sacra Scripturae nil addi vel detrabi debet Deut. 4. v. 2. c. 12 & ult. Apoc. 22. v. 18. 19. Ergo. IV. Unde fidem & Christi agnitionem habere possumus, quae ad obtinendam salutem aeternam sufficit; istud perfectum, & omnia dogmata fidei necessaria continet. At è Scriptura sacra eam habere possumus ex Iohan. 20. v. 31. ex cap. 5. v. 39. Ergo. Eiusdem generis argumenta ab effectu ex aureo Apostoli loco 2. Tim. 3. v. 14. 15. 16. 17. sex distinctis syllogisticis conclusionibus formari possunt. V. A testimonio Evangelistarum & Apostolorum expresso, quo testantur se omnia scripsisse ad salutem necessaria Act. 1. v. 1. c. 20. v. 27. c. 26. v. 22. Rom. 1. § 16. Gal. 1. v. 8. VI. Accedunt testimonia Patrum Justinus in Dial. cum Tryph. Iren. l. 2. c. 47. Clement. Alex. and. l. 3. c. 1. 2. Tertullianus de resurrectione carnis c. 3. contra Hermog. c. 22. Cyprian. in Epist. 68. ad Coecil. Athanas. in orat. cont. Idol. Ambros. lib. 2. de vocat. gent. c. 3. Damasc. lib. 1. Orihod. fid. c. 1. August. lib. 2. de pecc. merit. cap. ult. tract. 49. in Ioh. l. 3. cont. liter. Petil. c. 6. lib. 3. contra Maxim. c. 14. Quin imprimis ipsorum adversariorum, ut Lombardi 3. sent. dist. 15. Thoma p. 3. q. 1. art. 3. lection. 3. super 2. Tim. 3. Scoti in 1. sent. q. 2. Petride Aliaco 2. sent. q. 12. Discip. de tempor. serm. 23. Emanuelis à Saa de prim. num. 30. Cajetan super 2. Tim. 3. Costeri in Enchirid. cap. de S. Scriptur. Pistorii in Wegeweyfers titulo, ipsius etiam Bellarmini lib. 4. de verbo Dei cap. 11.

IV.

Hinc quid de Traditionibus Papisticis sentiendum liquidò patet. An traditiones istae pari pietatis adfectu cum sacra Dei Scriptura suscipiendae? Ita enim disertè pronuntiant Concil. Triad. sess. 4. c. 1. Alphons. Salmeron canon. 13. disp. 8. in Epist. D. Pauli. Melchior Canus lib. 3. loc. comm. Traditionum nomine doctrinam intelligunt Papisticam, quae Scripturarum sacrarum testimonio probari non potest, ut probari non possit, Episcopi Bononiae congregati, in suo consilio Iulio III. Pontif. dato exponunt. Equidem si Scripturae S. perfectae, ut probatum dedimus, quorsum

Traditiones? II. Si Ecclesia partim Scripturâ, partim Traditionibus niteretur, non erit super UNICUM fundamentum Prophetarum Apostolorum, in quo imus angularis est Christus extructa. Posterius absurdum Eph. 2. v. 20. 21. Ergo. III. Syllogismus sit, cujus partes omnes è Bellarmino nos probaturos confidimus: Quicquid à Prophetis & Apostolis non est, istud nec de fide est. At Traditiones Pontificiæ (vel inter eas saltem istæ, quas Ecclesiasticas vocant) à Proph. & Apostolis nō sunt. Quare nec de fide, Quare nec pari pietatis adfectu cum sacra Scripturâ suscipienda. IV. Qui autem faciendum Roberte, si quando Traditiones dissentiunt? Dissentiunt autem sepius. Ut cum apud Socratem lib. 5. cap. 22 de Paschatos die discrepant Occidentales & Orientales Ecclesia. Utraq; autem pars jactat traditiones, quid faciendum in versatili ista Scena? V. Qui relictâ sacrâ Scripturâ ad traditionum anchoram confugiunt libentius traditionum siliquis, quàm lacte dulcissimo è Scriptura uberibus manante pasci valunt, ut duces sequuntur hæreticos: quorum id proprium esse disertis verbis testatur Irenæus lib. c. 2. quæ & ipse Bellarminus allegat, valde inscitè tamen, quandoquidem Irenæo adscribit, quod Irenæus hæreticis duces Simonem Magum apud eundem lib. 1. c. 1. 17. duces Selgianos apud Epiph. heres. 39. Archonticos heres. 40. Severianos heres. 45. Encratitas heres. 47. Bazdenasistas heres. 36. Arianos apud Athanasorat. 2 cont. Arian. Capocratianos apud Irenæum lib. 1. c. 24. & Iudeos apud Galat. At faciunt id Pontificii. Ergo. Quin eodem argumento pro traditionibus adferendis prodit in aciem Bellarminus lib. 4. de verb. Dei cap. 8. quo ipsi hæretici, olim apud Irenæum lib. 3. c. 3. IV. Adstipulantur nobis Patres, Irenæus lib. 3. cap. 1. Basil. de confess. fidei Epist. 80. August. tract. 49. in Job. & lib. 2. de doct. Christi. quibus adjicimus ingenuam ipsius Bellarmini confessionem, quæ extat lib. 4. de verbo Dei c. 11.

V.

Deciditur & altera inde questio de doctrinæ Christianæ norma, quam esse sacram Scripturam constat ex Psalmo 19. v. 5. ubi in Latino vocabulum Sonus juxta Hebræam veritatem sonat idem quod Linea, nam Kavah perpendiculum esse, dixerunt ex R. Abenezira ait Munsterus. Vide & Variabulum. neq; negant hoc Pontificii. Istud quarunt? An doctrinæ Christianæ sacra Scriptura sit norma UNICA? Esse autem contra Papicolarum chorum adserimus, quamdiu inconcussa manent, quæ de plenitudine sacre Scripturæ diximus, è qua perfectio ista fluit. Et sic colligimus: I. Ad cujus unius præscriptum in omnibus officii partibus Christiani remittuntur, id unum fidei & vitæ nostræ norma est. Atqui ad unius sacre Scripturæ præscriptum in omnibus officii partibus Christiani remittuntur. 2. Tim. 3. v. 14. 15. 16. 17. Ergo. II. Norma cavendorum & refutandorum errorum est norma fidei. At una Scriptura sacra est norma cavendorum & refutandorum errorum. Constat id cum aliorum divinorum virorum in V. & N. instrumento, tum in primis Christi auctoritate & exemplo: qui quas hæreses è solâ refutavit Scripturâ, causasq; erroris uni Scripturæ ignorantia adscribit Matth. 22. v. 29. III. Quæ futura norma est doctrina

21
Arina Christiana in extremo iudicio, ea & non alia in hac vita esse debet sermo. At
Christi in Scripturis Prophetiis & Apostolicis comprehensus, seu Scriptura sacra est
illa norma Iohan. 12. §. 48. Ergo. IV. Idem tradunt Patres, Irenaeus lib. 1. c. 1. l. 3.
c. 1. 2. Chrysof. homil. 13. in 2. ad Corinth. Tertull. de resurrect. carnis, & saniores
Pontificii, Andreas Fricius lib. 4. de Eccles. cap. 6. Cassander in consultat. art. 15.

V I.

Anne autem Sacra Scriptura Iudex doctrinae Christianae ulterius dis-
quirunt Jesuitae, accerrime in colloquio nupero Ratisbonensi, quorum errores non
obscurè defendit M. Rodolphus Goclenius, masculè tamen exceptus à Dn. D. Andrea
Libavio Nam I. Paria sunt secundum Scripturam, esse doctrinae Normam & Ju-
dicem, unde repetantur argumenta, quae jam adduximus. II. Expresso Christi e-
nunciato Iohan. 12. §. 48. III. Quia Scriptura utilis est Deo; ἐλεγχον 1. Tim. 3.
IV. Patrem idem docent suffragia, Basilii M. ad Eustachium medicum tom. 2. Ep.
80. Augusti lib. 2. de nupt. & concupiscent. c. 33. & inter Pontificios Dandradæ in de-
fensione fidei Trident. l. 2. cont. D. Chemnit.

V II.

Hinc & disputant, An tanta sit Scripturae perspicuitas, ut ex ea certa senten-
tia de Dogmatibus quorum cognitio ad salutem necessaria, hauriri possit? An
quia in Scripturâ trañantur res obscurae, ideo & undique obscurè? Prius nos-
trae, posterius Pontificii tuentur. Nostra sententia fundamentum suppeditat ab
Elogiis, quibus S. Scriptura ornatur, ut rectè observat Augustinus. Dicitur enim lu-
terna pedis nostrorū Ps. 119. §. 105. & 19. §. 9. Prov. 6. §. 23. Splendens in caliginoso lo-
co 2. Pet. 1. §. 19. iis tantum oblecta qui percunt, in quibus Deus hujus saeculi excavit
mentes, ne irradiet lumen Evangelii 2. Corinth. 4. §. 4. II. Si Scriptura adeo ob-
scura, ut quiritantur Pontificii, id inde est, quia Spiritus S. clarius scribere vel
non potuit, vel noluit. Non potuisse quis affirmabit? Repugnaret Gen. 18. §. 14 Jerem.
32. §. 17. Luc. 1. §. 17. 37 Vide eleganter Lactanti lib. 6. jnst. c. 21. Noluisse, fini scri-
bendi resagatur Rom. 15. §. 4. Iob. 20. §. 31. Luc. 1. §. 4. III. Cur etiam juberemur
scrutari Scripturas Iob. 5. §. 38. si adeo obscurae, ut ex illis certa sententia hauriri non
posset? IV. Expressè Mandatum Dei (intelligitur sub eo & Evangelium) dicitur non
esse occultum Deut. 30. §. 11. E quibus verbis sic concluditur: Quicquid Judaei po-
stulabant, id a deo pronunciat Jehova. Ii autem verbum Dei non modo per se, sed
& intellectum ejus postulabant. Et hunc ergo a deo pronunciat Jehova. V. Ob-
scuritas ista esset vel in Lege vel Evangelio. Non in Lege, ipso Bellarmino teste: namq;
hujus sententia clarè satis expressa Deut. 6. §. 5. Mat. 22. §. 27. Non in Evangelio, ut
confirmat Apostolus 2. Cor. 4. §. 3. 4. qui & Evangelii claritatem 2. Cor. 4. §. 6. cum
prima istius lucis claritate Gen. 1. §. 3. confert. IV. Ex hypothese: Quod factū fa-
cile, id intellectu non difficile. Docebunt id Conimbricenses Jesuitae, Moguntini, &
Monasterienses in VVestphalia. At mandatum (sub quo & Lex cum Evangelio com-
prehenditur) de quo Deut. 30. §. 11. juxta Bellarminum est factū facile. Nec ergo
ulse-

ulterius intellectu difficile. VII. Accedunt suffragia Patrum, Augustin. epist. de unitat. Eccl. c. 5. Instin. in Dial. cum Tryphon. Cyrill. cont. Julian. lib. 7. in Ioh. lib. 3. c. 26. Epiphan. heres. 76. Et pontificiorum ipsorum, Gregor. de Valent. in analys. fid. Cathol. Perer. Coster. Vide & Jus Canonicum dist. 37. cap. Clemens Pap. 1. Epist. 1. ad suos discip.

IIX.

His præsuppositis multa ad fines quæstiones decidi possunt, adversariorum errores profligari, ut Pontificior. qui melius consultum fuisse Ecclesie scribunt, si nulla unquam extitisset Scriptura, si nulla Theologia atramentaria & nigrum Evangelium, (ut scripta vocant Biblica) Decretales Pontificum Epistolæ sacris litteris æquant, Sacram autem Scripturam in Cænothis Latine versionis rivulis (de quibus dist. peculiari) sacrilego molimine authenticè querendam inculcant, Tyrannico interdito Laicos à Scripturæ lectione absterrent, rerum ipsarum interpretatentè jure ad Rom. Pontif. Opt. Max. devolutam ajunt, cui libet Scripturæ loco sensus quatuor vel quinque adfingunt, tanquam Nasum cereum excipiunt, & ita tractant, ut vel imperfectio, vel obscuritas, vel vilitas, ad auctoritatem & majestatem ejus annihilandam adferatur. Collabascunt unà Gnosticorum, Manichæorum, Bogomillorum, & quæ ejus nota plures aliorum circa sacræ Scripturæ auctorem Deum blasphemias.

IX.

Tantum: M. Johannes Lampadius suprâ modum scriptæ Sociennorum Calvinianorum contra Pontificios in locum de Sacra Scripturâ extollit, querere ergo libet: anne verborum tantum, quæ principalia, in iis lusus sit? h. e. anne ipsimet Calviniani quæ Scripturæ perfectionem & perspicuitatē egregiè papizent? Ego adfirmo.

I. De Perfectione: Qui causam principem salutis nostræ, Dei dico beneplacitum in sacrâ Scripturâ nobis negant exponi, ii S. Scripturæ negant perfectionē. Certum Atqui Calviniani id faciunt, quoties de ARCANO & absoluto Dei beneplacito de voluntate Beneplaciti ARCANâ, voluntate signi cœu Sacra S. expressæ opposita, de quibusdam nempe hominibus non salvandis declamitant: Vide imprimis Bezanæ resp. 2. ad Coll. Momp. p. 174, 175. H. Zanchium de natura Dei l. 3. c. 3. q. 3. & c. 4. q. 3. Sacra ergo Scripturæ negant perfectionem.

II. De Perspicuitate: Qui Syntaxin Spiritus S. AMBIGUAM ajunt, ii sacræ Scripturæ negant perspicuitatē. Calviniani Syntaxin Spiritus S. ajunt AMBIGUAM. Vide quid Matthias Martinus scribat contra D. Mentzerum in Incis. p. 55. & nunc taceam alios. Negant ergo & Scripturæ S. Perspicuitatem, & consequenter O M N I A auctoritatem, id quod erat concludendum.

II.

EPIGRAMMA
DE SCRIPTURÆ SACRÆ VBER-
TATE ET DIGNITATE,

Quod Doctissimo & Ornatissimo Juveni

Dn. Balthafari Vietori

Respondenti amico & sympatriotæ suo.

Cernere clara volens surgentis lumina Solis
Purgamenta suis ejicit ex oculis.
Certè Iustitiæ Christus Sol fulgidus alma
Scripturis sacris conspiciendus inest!
Hujus qui radios, adamantina corda ferventes,
Non cessans studio fervidiore colit:
Dispellat tenebras oculis, nubemq; veterni,
Et quidquid fingit vana superstitio.
Plana fides captâ cecâ Ratione triumphet.
Namq; errat, sequitur qui Rationis opus.
Fallitur, & fallit sceleratâ fraude Sophista,
Dum neclit nodos, & struit insidias.
Illinit ut roseo meretricia tempora fuco.
Quo placeat turpi, femina spurca, proco.
Haud secus errores cautâ limit arte Sophista,
Illaquet miseros ut, capiatq; dolis.
Simplicitas fraudes has piscatoria spernit,
Et non consutis indiget illa dolis.

Scri-

Scriptura est etenim pelagus, sat largiter unde
Semper Christicolis dogmata sana fluunt.
Felix & sanus vanis quicumq; relictis
Inde petit cordi pharmaca sana suc!
Perge sacros latices haurire ex fonte Tonantis,
Carpe viam, quam te Biblia dia docent:
Perge, inquã, VICTOR. Gna vos Deus adjuvat ipse.
Na pretium in calo grande laboris erit!

Arnoldus Bleffæus
Limbergo-Westphalus F.



EPIGRAMM.
DE SCRIPTURÆ SAC
TATE ET DIGNIT

Quod Doctissimo & Ornatissimo

Dn. Balthafari

Respondenti amico & sympa

Cernere clara volens surgentis lu
Purgamenta suis eiecit ex oculis
Certè Iustitiæ Christus Sol fulgidus a
Scripturis sacris conspiciendus in
Hujus qui radios, adamantina corda
Non cessans studio fervidiore colit
Dispellat tenebras oculis, nubemq; v
Et quidquid fingit vana superstitio
Plana fides captâ cecâ Ratione triun
Namq; errat, sequitur qui Ratione
Fallitur, & fallit sceleratâ fraude Sop
Dum necit nodos, & struit insidias
Illinit ut roseo meretricia tempora fuce
Quo placeat turpi, femina spurca
Haud secus errores cautâ linit arte S
Illa queet miseros ut, capiatq; dolis
Simplicitas fraudes has piscatoria spern
Et non consutis indiget illa dolis.

